

summo pontifice archiepiscopus Armacanus vir in Augustini doctrina apprime versatus : « Erravit inquit, Calvinus constituendo efficaciam gratiæ necessitantem voluntatem. » Ad quod verbum tacuerunt oppositi auctores. Ita ibi.

XI. Quapropter concordia inter infallibilitatem præscientiæ, prædestinationis, et gratiæ Dei, atque fallibilitatem nostræ voluntatis, et libertatem, non debet sumi ex suppositione quod determinet se libertas nostra, et sic in quam partem se determinet præsciatur, antequam causari, et derivari a decreto Dei intelligatur : « Ita quod si præscientia non exploraverit, prædestinatio nihil decernat, » ut Faustus Semipelagianus dicebat. Si enim ita est, tota infallibilitas divinæ præscientiæ et voluntatis pendet ex aliqua præsuppositione creata quam sub illo statu non facit Deus, sed supponit, si enim facit et causat talem suppositionem, seu determinationem creatam, ergo antequam causare intelligatur, determinatio ipsa non intelligitur. Ad se ergo causantem, et decernentem, et volentem debet Deus respicere, priusquam ad determinationem voluntatis quæ creata, et facta est non præsupposita, et sic ut facta debet intelligi a Deo.

XII. Si ergo concordia ista ex ipsa efficacia, et universalitate divinæ voluntatis, et causalitatis debet sumi, et sumitur a D. Thoma, cum enim efficacia agentis universalissima est et complectitur omnia tam in substantia, quam in modo ex ipsa sumitur quod ipse actus, et substantiam determinatam habeat, id est, talem speciem et naturam, verbi gratia, quod sit potius velle quem nolle, amor quam odium, et quod modum habeat sibi proprium, puta quod sit liber seu contingens necessarius vel coactus, etc. et sic non est necesse ponere aliam concordiam quam

ipsam causalitatem divinam sic universalem, quod est causativa etiam libertatis ipsius, est enim libertas creata etiam effectus Dei, utpote ab eo participata. Et ex eadem universalitate operandi habet infallibilitatem, non ex aliqua vi aut coactione in voluntatem creatam, sed ex abundantia largiendi, quia omnia dat; sic enim impossibile est, quod aliquid effugiat manum ejus, id est, causationem ejus, quia omnia ab ipso sunt, nec aliquid contra eum; imo si ei resisteret humana libertas, hoc ipsum ex Deo habere deberet quantum ad actum quo resistit, et tunc non resisteret Deo, si ex ipso habet quod resistat, sed resisteret particulari objecto, quod Deus vult, non universali voluntati ejus. Infallibilitas autem procedens ex universalitate operandi omnia, non repugnat, sed valde concordat cum libertate, quia ea etiam causat, si causat omnia, et sic concordat cum ipsa sicut causa cum suo effecto, fons cum rivo; licet enim Deus ex modo operantis infallibilitatem habet, quia infallibili modo, id est, summe perfecto operatur, tamen ex parte effectus operari aliquid fallibile, et contingens operatur, sicut etiam immutabilis existens effectum mutabilem immutabili modo operatur, utpote immotus permanens omnia mutans.

XIII. Et sic explicat hanc concordiam S. Thomas et communiter patres, dicit enim S. Thomas, 1 part. q. xix, art. viii : « Cum voluntas divina efficacissima sit, non solum sequitur quod fiant ea quæ Deus ut fieri, sed quod eo modo fiant quo Deus ea fieri vult. Vult autem quædam fieri necessario, quædam contingenter, et ideo quibusdam effectibus aptavit causas necessarias, quæ deficere non possunt, ex quibus effectus de necessitate proveniunt, quibusdam autem aptavit

causas contingentes defectibiles, ex quibus effectus contingenter eveniunt. Non igitur propterea effectus voliti a Deo eveniunt contingenter, quia causæ proximæ sunt contingentes, sed propterea quia Deus vult eos contingenter evenire, contingentes causas ad eos præparavit. » Et solutione ad II : « Dicendum quod ex hoc ipso, quod nihil voluntati divinæ resistit, sequitur quod non solum fiant ea quæ Deus vult fieri, sed quod fiant contingenter vel necessario, quæ sic vult fieri. » Ubi manifeste vides duo. Primum, non recurrere S. Thomam ad aliquid præsuppositum, aut prævisum ex parte nostræ voluntatis vel causarum proximarum, ut servetur libertas, sed ad ipsammet efficaciam, et summam potestatem divinam prout omnia causantem etiam ipsum libertatis modum. Secundum est quod efficacia voluntatis cui nihil resistit tantum abest, quod impediatur, aut torpeat libertatem nostram, quod potius adstruit, si enim non est resistere divinæ voluntati, et ipsa non solum vult, quod nos faciamus, sed etiam quod tali modo, id est, libere faciamus, etiam hoc totum est infallibile, nec ei resisti potest, scilicet quod libere res fiant. Eodem modo in primo ad Annibaldum dist. XLVII, quæstione unica, art. iv : « Cum voluntas Dei, inquit, efficaciter impletur, oportet quod res fiant et eo modo finat sicut voluntas divina disposuit. Disposuit autem Deus ut quædam fierent necessario, et his præparavit causas necessarias etiam secundas; quædam vero ut fierent contingenter, et his præparavit causas secundas contingentes, et ideo divina voluntas rebus necessitatem non imponit : » ergo juxta D. Thomam ad conciliandum libertatem nostram cum divina efficacia non est necesse ad aliquid præsuppositum, vel prævisum ex parte nostra recurrere,

sed ad solam ipsam efficaciam divini decreti, quæ ex eo quod universalissima est causat substantiam actus, et modum, id est, libertatem, non autem lædit, quia non violentando, sed volendo illam causat, et dando omnia efficacissima est. Et hanc eandem doctrinam perpetuo docet idem D. Thomas aliis locis ut III contra gent. c. LXXXIX, et c. XCIV, late, et I periherm. lect. XIV, et in quæst. XXIII de veritate, art. v : « Voluntas, inquit, divina est agens fortissimum, unde oportet ejus effectum ei in omnibus assimilari ut non solum fiat id quod Deus vult, sed ut fiat eo modo quo vult illud fieri, scilicet necessario vel contingenter, cito vel tarde, etc. Et sic non dicimus, quod aliqui divinorum effectuum, sint contingentes solummodo propter contingentiam causarum secundarum, sed magis propter dispositionem divinæ voluntatis, qua talem ordinem rebus providit. » Itaque perpetuus est D. Thomas in hac doctrina, et modo concordandi, scilicet quod propter tantam, et tam universalem efficaciam, et fortitudinem divinæ voluntatis si vult ut libere fiat non tollit, sed constituit libertatem quam debet dare, quod vult et sic nihil effugit, nec resistit ejus causalitati, sicut corpus habet ab anima omnia quæ pertinent ad vitam, neque anima tollit seu lædit aliquid de vita corporis, quia est ejus principium. Multo minus Deus tollit libertatem per causationem suam antecedentem, quia est prima radix, et principium ejus.

XIV. Hanc autem doctrinam totam sumpsit D. Thomas ex patribus. Nam D. Augustinus libro de correptione et gratia, c. viii, inquit : « Voluntas humana non libertate consequitur gratiam, sed gratia libertatem. » Ergo a gratia modus libertatis est, non sola substantia actus. Et ibidem, c.

xiv docet: «Deum habere magis in potestate sua voluntates hominum quam ipsi suas.» Et libro I contra duas epistolas Pelagianorum, c. xix: «Gratia trahit et operatur in cordibus hominum, non ut nolentes credant sed ut volentes ex nolentibus fiant.»

Totam ergo rationem libertatis nostræ ad potestatem et causalitatem Dei reducit, tum moralem dum dicit trahit, tum physicam dum dicit operatur. Unde dixit Sanctus Prosper sententia quinta in responsione ad capita Gallorum: «Gratia non abolet, sed adolet liberum arbitrium,» quod est esse causam, et radicem libertatis, quia nutrit, et adolescere eam facit. Et Anselmus libro de concordia, cap. 1: «Non debes, inquit, dicere, Deus præscit me peccaturum, vel non peccaturum, sed præscit me Deus peccaturum sine necessitate, vel non peccaturum.» Et capite II dicit: «Eodem modo Deum prædestinare ea quæ futura sint per liberum arbitrium, sicut et præscire,» scilicet non tantum ut fiant, sed ut fiant sine coactione, et libere. Quod est plane assertum

totum Div. Thomæ. Et Bernardus tractatu de gratia et libero arbitrio: «Gratia non aufert, sed transfert voluntatem,» ideoque libertatem non tollit; quia in: «Aliam mutat.» Quare iste est modus communis apud patres concordandi libertatem nostram cum infallibilitate divini decreti, et præscientiæ, quia causatur a Deo nostra libertas, et ab eo perficitur, et adoletur, seu nutritur. Unde quia Deus infallibili modo ex parte sua, vult actus nostros esse liberos et contingentes, ex parte rei volitæ non destruit libertatem sed adstruit. Nec potest in doctrina sana ipsa ratio liberi, ut liberi subtrahi a causalitate, et providentia a divina, et ad solam causam proximam reduci. Quid ergo inconvenientiæ est, quod Deus causet, et sit primum principium libertatis nostræ, quod etiam in suo modo operandi sit immutabilis et infallibilis, quia universalissime operatur? Ecce intra Deum habes unde concordet ejus infallibilitatem cum nostra libertate fallibili. Quorsum ergo succurri debet a creato consensu præviso.

R. JOANNIS

A SANCTO THOMA,

ORDINIS PRÆDICATORUM

TRACTATUS DE OPERE SEX DIERUM,

ORDO DICENDORUM.

I. Post considerationem creaturæ angelicæ, quæ est pure spiritualis, restat inquirere de alio genere creaturarum a Deo procedentium, quæ est pure corporalis, et constituit hanc machinam visibilem universi. Circa cujus creaturæ processionem distribuit D. Thomas ordinem suæ doctrinæ more theologico secundum quod per fidem, et revelationem Scripturæ nobis traditur hujus creaturæ productio.

II. Invenimus autem in Scriptura distingui quatuor genera operum divinorum, quibus totius mundi visibilis opificium perfectum fuit. Primum est opus creationis, ut cum dicitur: *In principio creavit Deus cælum et terram.* Secundum est opus distinctionis, ut cum dicitur: *Quod divisit lucem a tenebris, quod divisit aquas ab aquis, etc.* Tertium fuit opus ornatus, ut cum ornavit cælum luminaribus, aerem volatilibus, aquam piscibus, terram animalibus. Quartum fuit opus consummationis, et completionis (licet extra opera positiva numerari possit) ut quando: *Die septimo completit Deus opus suum, et requievit ab universo opere quod patrarat,* cessando a novis generibus rerum condendis, incipiendo vero generationem,

et multiplicationem individuorum in toto hoc universo usque ad finem mundi.

III. Cur vero distinxerit Deus ista quatuor opera, cum posset sola creatione producere omnes istas creationes cum omni sua perfectione, et ornatu, tam substantiali, quam accidentali, sicut fecit in Angelis creando illos in tota sua perfectione? Respondetur hujus rei duplicem causam esse, ut tradit D. Thomas in II, dist. XII, q. 1, art. II ad III et IV, alteram ex parte Dei, ut ostenderetur ejus sapientia in ordinandis, et proportionandis rebus ipsis, tollendo earum imperfectiorem, et confusionem; quod fieri non posset, nisi prius, sub quodam statu imperfecto, et confuso, et incomposito, producerentur. Altera causa est ex parte ipsius creaturæ, ut ostenderetur ejus imperfectio, et dependentia, ac limitatio, dum sic transiret de statu imperfecto ad perfectum. Quod non ita opus erat in Angelis, qui nobis sunt invisibiles; magis autem, id manifestabatur nobis in istis creaturis visibilibus, si ipsas videremus transire de imperfecto ad perfectum paulatim, et per diversas actiones. Licet autem illa prima productio in se non sit visa